Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8496
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sabbatum · quomodo potest fieri ut aperiant oculos eius · Iam quidam de
phariseis · Non est hic homo a deo · qui sabbatum non custodit · Alii autem dicebant · Quomodo
potest homo peccator hec signa facere · Et scisma erat inter
eos · Dicunt ergo cecho iterum · Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos · Ille autem
dixit eis · Quia propheta est · Non crediderunt ergo iudei de illo quia cecus fuisset et uidisset · donec uocauerunt parentes
eius qui uiderant et interrogauerunt eos dicentes · Hic est
filius uester quem nos dicitis · quia cecus natus est · Quomodo
nunc ergo uidet · Responderunt
eis parentes eius et dixerunt · Scimus quia hic est filius noster
et quia cecus natus est · quomodo autem nunc uideat nescimus · aut
quis eius oculos aperuerit nescimus · ipse habet etate · ipse de se loquatur
Hec dixerunt parentes eius · quia timebant iudeos · Iam enim
conspirauerant iudei · ut si quis eum confitetur christum · extra synagogam
fieret · Propterea parentes eius dixerunt · quia etatem habet · ipsum interrogate · Vocauerunt ergo iterum
hominem qui fuerat cecus et dixerunt ei · Da gloriam deo · Nos
scimus · quia hic homo peccator est · Dixit ergo ille · Si peccator sit nescio · unum scio quia cum essem cecus modo uideo · Dixerunt ergo
illi · Quid fecit tibi · Quomodo aperuit tibi oculos · Respondit eis · Dixi uobis iam et audistis · quare iterum
uultis audire · Numquid et uos uultis discipuli eius fieri · Maledixerunt ergo ei et dixerunt ei · Tu discipulus eius sis
nos autem moysi discipuli sumus · Nos scimus quia moysi locutus
est deus · hunc autem nescimus unde sit · Respondit ille homo · et dixit
eis · In hoc enim mirabile est · quia nos nescitis unde sit · et
aperuit meos oculos · Scimus
autem · quia peccatores deus non audit · Sed si quis dei cultor est
et uoluntatem eius faciat hunc audit · Seculo non est audi
tum · quia quis aperuit oculos
cecci nati · Nisi hic esset a deo ·